



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 90119231**

§. 43. Laurentii Raggii Cardinalis decessus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

## §. XLIII.

Sæc. XVII.  
A. C. 1687.*Laurentii Raggii Cardinalis decessus.*

Alter ex Purpuratis, qui hoc anno mortalitatem exuerunt, erat Laurentius Raggius, Genuensis Patritius, qui anno ætatis suæ decimo tertio Romam delatus, literis humanioribus operam dedit, atque Philosophicis disciplinis egregie instructus ab Urbano VIII. inter Cameræ Apostolicæ Clericos cooptatus est, postea Thesaurarii munere decoratus, ardente Italiæ bello, cum ærarium Pontificium immodicis sumptibus impar esset, ingentem auri argentique vim Genua Romam asportari curavit, qua liberalitate sibi Urbanum Papam tantopere obstrinxit, ut pro Laurentio, quem jam diu Purpuræ destinaverat, Apostolicum diploma expediri juberet, quod tamen ingravescente morbo subscribere præpeditus est: cum autem post Papæ obitum milites ex diversis, exterisque nationibus collecti, ob stipendia minus exacte numerata seditionem concitarent, & Raggio mortem minitarentur, hic rursus pecuniam, cum domi deficeret, aliunde conquisivit, & militari ære persoluto milites in officio continuit, non sine magno Innocentii X. applausu, a quo

*Ciacon. in  
vit. Innoc. X.  
Guald.  
Theatr. Vir.  
Ill. Palat.  
fast. tom. 4.*



Sæc. XVII etiam Cardinalis nominatus, variisque  
 A.C. 1687. Patrum cætibus aggregatus, ad Hi-  
 spaniæ Regis nominationem ab Ale-  
 xandro VII. Papa Tarentinam Ecclesiam  
 obtinuit, quam cum aliquamdiu non  
 sine magno gregis sui proventu rexisset,  
 tandem decessit, anno ætatis suæ se-  
 ptuagesimo secundo.

## §. XLIV.

*Principum atque Illustrum extrema.*

Obiit hoc item anno Maximilianus  
 Gandolphus Comes de Khüenburg  
 Archiepiscopus Salisburgensis, S. R. E.  
 Cardinalis, qui in Styria natus, atque  
 a teneris ad omnem pietatem enutritus,  
 Romæ Theologiæ scientiam hausit:  
 inde reversus, anno hujus sæculi quin-  
 quagesimo quarto Salisburgensis Con-  
 sistorii Præses, & Lavartinus & postea  
 Seccoviensis Episcopus creabatur, at-  
 que Anno Christi millesimo sexcentesi-  
 mo sexagesimo octavo in præfatæ Ec-  
 clesiæ Archiepiscopum inauguratus,  
 ab Innocentio XI. ob præclara in rem  
 Christianam merita Purpuram proprio  
 motu oblatam recepit, qua tamen ne-  
 quidem integrum annum potitus, die  
 quarta Maij ex apoplectica defluxione  
 inter Sacerdotum preces animam Deo  
 piensissime reddidit, postquam sexa-  
 ginta